

Heinrich Dringenberg

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hinricus Dringenberg/
Hebraicorum Profess. Publ: & Ampliss. Facultatis Philosophicae hodie Decanus,
Ad Solenne Pentecostes Seu Spiritus Sancti Festum Rite pieq[ue] celebrandum,
Omnes Academiae Cives, Studiosam cumprimis iuventutem, serio hortatur : P.P.
die X. Maii Anno 1668. sub Sigillo Rectoratus**

Rostochii: Kilius, 1668

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735670935>

Druck Freier  Zugang



113.3

PROGRAMMA

^{Quo}
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

HINRICUS Dringenberg/

Hebraicorum Profefs. Publ: & Am-
phis. Facultatis Philosophicæ hodiè

DECANUS,

Ad Sol nne

PENTECO-
STES

Seu

SPIRITUS SANCTI
FESTUM

Ritè pièq; cèlebrandum,

Omnes Academiae Cives, Studiosam cum primis
juventutem, serio hortatur.

P. P. die X. Maij Anno 1668. sub Sigillo Rectoratus.



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typ.



Eram, Catholicam & Orthodoxam de Spiritu Sancto doctrinam, quæ diebus hisce, proponi atq; explicari per christianum orbem (vevit, diversimodè ab ipsis usque Ecclesiæ incunabulis, interpolare & depravare conati sunt hæretici. Omnium autem primus ac Princeps *Simon Magus*, ut alia omnia religionis nostræ capita, sic quoque doctrinam de Spiritu Sancto sceleratissimè evertit. Verba nequissimi mortalis, quibus hoc ipso in negotio usus est, ob horrendam blasphemiam referri quidem non merebantur; sed referemus tamen: Scipsum, ut scribit Theodoretus hæret. fab. *nominabat infinitam potentiam, & se Judæis quidem ut Filium apparuisse, ad Samaritanos atem tanquam potentiam descendisse; ad alias verò gentes tanquam Spiritum Sanctum accessisse; sive, ut loquitur Augustinus hæres. i. se in linguis igneis Spiritum Sanctum super Apostolos venisse.* Quin, scribente Epiphanio, Helenam, scortum Tyrium, quod deperibat, seu in deliciis habebat, Spiritum Sanctum & *Εννοειν* divinam, appellabat, & esse affirmabat. Ad eò nulla frons miseris, quos Satanas fascinavit, superstes est. Parili furore insanissimus & absurdissimus *Manes* semetipsum Spiritum Sanctum & paracletum esse dictavit; Epiphanio & Augustino testibus. *Hierax Leopolitanus*, Ægyptius, *Melschisedecum* esse, qui Spiritus Sanctus diceretur, adseruit, ut ex eodem Epiphanio discimus. *Valentinus* quidam, uti ex Iren. lib. 1. cap. xx. Epiph. hæres. **xxi.** itemq; Athanasii Epist. ad Serap. constat, Spiritum Sanctum Angelum esse, gradu saltim aliis superiorem, statuit; in quam etiam sententiam concesserunt *Eustathius* *Sebastenus*

Sebastenus, Eleusius Cyzicenus, omnesq; illi, qui ab Acacia-
 nis Constantinopoli loco moti sunt; referente Sozome-
 no lib. IV. c. XXVI. & non solum populi Constantinopo-
 litani, verum etiam provincialium immensam partem, hy-
 pocrisi vitæ conspicui, suâ hæresi dementarunt. *Sampsæi*,
 qui *Helcesaita*, secta à judeis oriunda, & judaismum redo-
 lens, Spiritum Sanctum sororem Christi esse, habitu fe-
 mineo præditam, joculari ac ridendo errore docebant.
Montanista qui & *Cataphryges* & *Pepuziani*, alio quodam
 insanix genere impliciti tenebantur. Neq; enim divinita-
 tem aut personam Sancti Spiritus negarunt. *De Patre*, ait
 Epiphanius hæ. 48. & *Filio* & *Spiritu similiter sentiunt, ve-*
lut Sancta catholica Ecclesia. It. Theodoret. lib. 3. hæret.
 fab. *Quod ad veram Trinitatis rationem attinet, non offen-*
dunt. Docuerunt autem, Spiritum Sanctum plenè & per-
 fectè Apostolis datum non fuisse, sed in *Montanum* de-
 mum, ejusq; Prophetissas, *Priscillam* & *Maximillam* effu-
 sum esse, iisq; dictasse & revelasse, quæ capere Apostoli
 nequivissent. Tertullianus, priusquam ad ipsos à Catho-
 licis descisceret, hanc ait communem esse *Cataphrygum*
 blasphemiam, quâ in Apostolis quidam dicant, *Spiritum San-*
ctum non fuisse; & quâ dicant *paracletum plura in Montano*
dixisse, quàm Christum in Evangelio protulisse; nec tantum
plura, sed etiam meliora atq; majora. Ista lib. de præscript.
 c. 51. Tertullianus; qui quum usq; ad mediam ætatem Pres-
 byter Ecclesie permansisset, invidia postea (verbis & fide Hie-
 ronymi hæc referimus lib. de Scriptorib. Ecclesiast. c. 53.)
 & contumeliis Clericorum Romana Ecclesia ad *Montani dogma*
 delapsus in multis libris nova nova Propbetia meminit; gravis
 cæteroque & eruditissimus Scriptor, quemq; mirum
 summoperè sit, infatuari, & absurdarum muliercularum
 ineptiis capi potuisse. Catholicos vocat *Psychicos*, Ani-
 males, sive, *carnales*; utrumq; enim vox ea in scripturis
 signi-

significat: se verò & sectæ socios, Spirituales, quòd scilicet ductum & doctrinam Paracleti, ut ipsi appellabant, sive Spiritus in Montano accuratius & plenius, quam factum fuerat hactenus, loquentis, sequerentur. Operæ fuerit, hoc ipso super *Tertulliano*, Lirinensem audire, Vincentium: *Quid hoc viro* (verba sunt planè eximii Scriptoris) *doctius? quid in divinis atq; humanis rebus exercitatus? Nempe omnem philosophiam & cunctas philosophorum sectas &c. mirà quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil sibi penè ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruerit, aut pondere eliserit? Jam porro orationis sua laudes, quis exsequi valeat? Qua tanta, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat: cujus quot penè verba, tot sententia sunt; quot sensus, tot victoriae. Sciunt hæc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnostici, ceteriq; quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit. Et tamen hic, post hæc omnia, hic, inquam, Tertullianus, Catholici dogmatis, i. e. Universalis ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multò, quàm felicior, mutatà deinceps sententiã, fecit ad extremum, quod de eo beatus confessor Hilarius quodam scribit loco (in Matth. sc. c. 5.) sequenti errore detraxit scriptis pobabilibus auctoritatem. Ille idem contra Mosis præceptum exsurgentes in Ecclesiã novellas Montani furias, insana illa insanarum mulierum novitii dogmatis somnia, veras prophetias adseverando meruit, ut de se, & scripturis suis diceretur: Si surrexerit in medio tui propheta: Et mox: Non audies verba prophetae illius. Sed ista obiter. Revertamur in ordinem. Certum est, quotquot sive olim sive hodiè Filii divinitatem & õpositoriarum inficientur, negare quoq; & oppugnare divinitatem Spiritus S. Gloriantur enim se propugnare & defendere excellentiam ac majestatem unius Dei;*

ne q;

neq; in animum inducere possunt, quòd cum unitate essentia consistere queat pluralitas Personarum. Sicut jam autem *Arriani* & *Photiniani* utriq; Filii divinitatem, quam non sine discrimine, negant; ita etiam *utriq;* quòd attinet Spiritum S. *haeretici*, & *adversum se ambo divisi sunt*, ut nonnulli August. loquitur, *Arriani* creaturam esse, volunt S. Spirit. sed rationalem & per se subsistentem. Personam itaq; esse concedunt, sed quæ Patri, uti & Filio famuletur. Testimonia de divinitate ejusdem ex sacrorum fæderum tabulis expungere soliti sunt; ut notavit Ambrosius lib. III. de Spiritu S. cap. XI. Quinimò hanc hæreticam hæresi suæ superadditam opinionem scriptis propagare voluerunt, ut videre est de *Donato*, Pseudo Episcopo Carthaginensi ex sup. cit. S. Hier. lib. de Script. in *Donat.* & apud Augustinum de hæresib. ad Quod vult Deum hæres. LXIX. Ubi innuitur, *etiam Donatum non catholicam de Trinitate habuisse sententiam, sed quamvis ejusdem substantia, minorem tamen Patre Filium, minorem Filio putasse Spiritum S.* Neq; adeò dissenserunt, qui vocantur *Semiarriani*, ut Lampfaci, Helleponti urbe, convenirent, & Synodali auctoritate hæreticam sententiam, cæteris repudiatis, fulcire ausi sint. Qua de re videatur *Socrat. histor. Eccles. lib. IV. c. IV.* Undè animi Catholicorum distracti sunt: quidam enim putaverunt, Catholicorum fuisse concilium, ut liquet ex *Sozom. lib. VI. c. VII.* quo tamen nihil falsius, docentibus nos *S. Basilii epist. LXXII. & LXXXII.* Error hinc, ut videtur, ortus est, quòd simplices multa contra *Arrianos* acta conspicerent in isto concilio; quare rati sunt, illos Patres in omnibus *Catholicæ fidei* propugnatores esse: Prudentiores verò, qui rem intimius cognoverant, rectè censuerunt, hæresin non sublatam, sed saltim mutatam esse. *Photiniani* Spiritum

rum S. personam esse negant, si vè singularem & distinctam
subsistentiam ei tribui renunt. Dicunt autem Spiritus S.
in Scripturis denotari vel virtutem ipsius Dei divinam,
vel donum saltem aliquod Dei in hominibus. Sequuntur
Aetiani & Eunomiani: quos ubi hæreseos notari ab Arria-
nis fortè legeris, existimes, non ob quandam dogmatum
discrepantiam, sed saltem ob rationum reddituram, quas
illi non intelligebant, perplexitatem, id factitatum esse.
Auctores hujus manix fuerunt *Aetius*, Syrus; Diaconus
Antiochenus; & *Eunomius*, Galata; Episcopus Cyzicenus,
ejus discipulus: Qui inter se detestabilibus dogmatibus
& morum impuritate certarunt, ut nescias forsan, utri
primas in impietate tribuas. Uterq; Arrianæ Sectæ sobo-
les fuit; sed postea ab Arrianis sese segregarunt, & bla-
sphemiam eorum etiam auxerunt. De Aëtio Epiphanius
hæres. LXXVI. *Ubi sese in Arianorum sectam altius immise-
rat, & insanam Arii doctrinam hauserat, illorum velut affri-
ctu quodam attrituq; longè pestilentior evasit, & adversus Dei
Filium ac Spiritum S. linguam suam indices exacuit.* De Eu-
nomio autem August. hæres. LIV. *Aetiani ab Aëtio sunt
vocati, iidemq; Eunomiani ab Eunomio, Aëtii discipulo, quo
nomine magis innotuerunt: Eunomius quippè in dialectica
prevalens, acutius & celebrius defendit hanc hæresin, dissimi-
lem per omnia Patri asserens Filium, & Filio Spirit. S. Fertur
etiam usq; adeò fuisse bonis moribus inimicus, ut adseverarit,
nihil cuiquam obesse quorumlibet perpetrationem ac perseve-
rantiam peccatorum, si modò hujus, qua ab illo docebatur, fidei
particeps esset.* Legi insuper de his hominum portentis
monstrisq; possunt Socrat. lib. II, cap. XXVIII. Theodo-
ret. lib. II, cap. XXIV. Ruffinus lib. I, cap. XXV. Svidas in
Aëtio & alii. Cæterum hostiliter ac specialius bellum
Spiritus S. intulerunt nulli, quàm *Macedoniani*, ab ipsâ ad-
eò re peculiare nomen sortiti, ac *πρωματομάχοι* dicti; orti
auctore

auctore Macedonio, qui ope Arianorum à Constantio Imp. ad Episcopatum Constantinopolitanum, ejecto Paulo, Episcopo Orthodoxo, euectus fuerat. Docuerunt hic ipse Præceptor & discipuli, ex æquo cum Arrianis, Spiritum S. creaturam esse, & divinitatem ejusdem, quantâ unquam poterant, vehementiâ impugnarunt. Videantur hic Theodoret, lib. IV. de hæret. fab. & lib. II. hist. Eccl. c. VI. Epiphani. hæres. LXXIV, cap. I. August. hæres. LII. Socratis verba sunt lib. 2. hist. cap. XXXV. *Etiamsi Filium Deum esse, & cum rebus aliis omnibus, tum substantiâ Patri similem assereret, Spiritum tamen S. istis honorum insignibus carere affirmavit, ministrumq; ipsum illis famulantem, vocavit.* Consentientia tradit Sozom. lib. IV. cap. XXVI. addens; *de Spiritu S. non aliter ac de Angelo quopiam differuisse.* Gregorius Nazianz. Orat. de Spirit. S. statim à principio hæc habet: *Quid verò dicere habes, inquit (hæretici) de Spiritu S. Undè nobis Deum peregrinum & Scriptura incognitum introducis? Hoc jam proferunt & illi sc. qui cateroqui moeratiùs de Filio sentiunt: quod enim in viis & staminibus deprehendere est: scindi hæc à te invicem, rursumque coire; id hic etiam propter impietatis opulentiam usu venit, ut, qui cateroqui dissident, in nonnullis conveniant, ita ut nescire quidem liquidò possimus, quatenus inter se vel consentiant, vel dissentiant.* Hæc Gregorius: ad quæ verba Elias Cretensis, commentator ejus; intelligit, inquit, Macedonii Sectatores, qui Pneumatomachi dicebantur, b. e. Spiritus S. adversarii. Et iterum: *Eunomiani & Macedonianiani sceleratè consentiebant hæc quidem in parte, contra Spiritum S. quod utriusque hunc Creaturam esse traderent; omninoq; Productoris ab essentiâ tanquam alienum secludebant. Verum iidem de Filio dissidentes, contrariam inter se sententiam tuebantur: Macedonius enim, qui Constantinopolitana Ecclesia Antistes fraudulenter ac per scelus factus est; itemq; sectatores hujus, saltem adver-*

adversus Spiritu S. blasphemi; quem Creaturam esse traderent,
& à Productoris essentia removerent: milder accūs de Filio sen-
tiebant, cujus imperio se sine adversatione submitterent, quem q̄
genitum quiddam à Patre, ac ejusdem cum Patre essentia esse
(sed & hic admodum lubricus ac varios fuisse, testatur hi-
storia) libenter faterentur. Ita Elias. De Petro Abailardo
conqueritur Bernhardus, quod, quum Spiritum Patri Fi-
lioq; consubstantialem esse, & ex Patre Filioq; procedere
largiretur, negaret tamen ex Patris Filioq; prodire substantiā.
Quomodo Patrum, nostraq; memoriā pestilentissimam,
Spiritu S. ejusdemq; hōnori ac divinitati detrahentem
hæresin in Poloniā, Hungariā, Transylvaniā, & Lithvaniā
renovaverint, & ex orco quasi reducerint Sociniani seu
NeoPhotiniani, notius est, quàm ut memorari indigeat. Ha-
ctenus autem ista ex antiquitate & histor. Eccles. repetere,
vobisq; Studiosi juvenes, ob oculos ponere volumus, ut,
quanta in nos Dei sit benignitas, apud quos vera, pia, ca-
tholica, & orthodoxa de Spiritu S. viger doctrina; erro-
rum, quales multos, partim stolidos, partim impios recen-
suimus, penitus immunis; agnoscatis; & Patri luminum,
à quo omnis donatio bona & omne integrum donum de-
scendit, pro limpida veritatis luce & sinceritate doctrinae
clementissimè nobis concessa, gratias agatis; feriisq; hisce
pentecostalibus non alibi, quam in cœtu sacro compa-
reatis, veritatem Christianæ de Spiritu S. fidei uberiq; diser-
tiusq; exposituris divini verbi Præconibus attentè operā
detis; id deniquè seriò & in omni vitâ agatis, ut animi
vestri sacratissimi Spiritus templa sint, ipse què & vo-
bis & conatibus vestris, dictis, factis propitius
adspirare dignetur. Valere.



auctore Macedonio, qui ope Arianorum
ad Episcopatum Constantinopolitanu
Episcopo Orthodoxo, euectus fuerat.
ipse Præceptor & discipuli, ex æquo cu
tum S. creaturam esse, & divinitatem
unquam poterant, vehementiâ impu
tur hic Theodoret, lib. IV. de hæret.
Eccl. c. VI. Epiphani. hæres. LXXIV, cap
LII. Socratis verba sunt lib. 2. hist. cap.
linum Deum esse, & cum rebus aliis omnibu
tri similem assereret, Spiritum tamen S. is
bus carere affirmavit, ministrumq; ipsu
vocavit. Consentientia tradit Sozom.
addens; de Spiritu S. non aliter ac de An
ruisse. Gregorius Nazianz. Orat. de S
principio hæc habet: *Quid verò dic*
(hæretici) de Spiritu S. Unde nobis Deum
ptura incognitum introducis? Hoc jam pr
cetero qui moeratiùs de Filio sentiunt: quo
minibus deprehendere est: scindi hæc à te
coire; id hinc etiam propter impietatis opul
qui catero qui dissident, in nonnullis conven
quidem liquidò possimus, quatenus inter se
dissentiant. Hæc Gregorius: ad quæ v
sis, commentator ejus; intelligit, inqu
tores, qui Pneumatomachi dicebantur, b.
sarii. Et iterum: Eunomiani & Macea
consentiebant hac quidem in parte, con
utriquè hunc Creaturam esse traderent;
ab essentiâ tanquam alienum secludebant.
lio dissidentes, contrariam inter se sententia
cedonius enim, qui Constantinopolitana E
dolenter ac per scelus factus est; itemq; sc



Imp.
aullo,
nt hic
Spiri
uantâ
idean
L. hist.
hæres.
msi Fi
tiâ Pa
nsigni
ntem
XXVI
e disse
atim à
quiunt
Scri
i sc. qui
& flu
tumquè
nit, ut,
escire
nt, vel
reten
Señtas
adver
eleratè
S. quod
uctoris
a de Fi
r: Ma
s frau
s, saltim
adver